



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Peccatum inobedientiæ dupliciter incurritur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

suum, quia putat licere sibi rem suam sibi vindicare  
 in huiusmodi enim reus actus in naturam iniustitie.  
 Est autem iniustitia peccatum veniale propter im-  
 perfectionem actus ex parte actus, vt primi motus  
 aut ex parte materiae, vt in re minima.

*Peccatum inobedientie dupliciter  
 incurritur.*

**I**nobedientia (qua suo superiori homo subditus  
 non obedit in aliis in quibus illi subiicitur) duplici-  
 ter incurritur. Vel per se, hoc est ex intentione. Et  
 hoc est ex suo genere peccatum mortale: quia iniu-  
 riam facit superiori suo, cōtemnens illius præceptum.  
 Idem namque est contemptus præcepti, & nolle ex-  
 tra intentionem obedire præcepto: quia qui ex inten-  
 tione inobediendi transgreditur præceptum, vult non  
 subiici per obedientiam præcepto: quod est nolle sub-  
 di præcepto: quum non ad aliud subdatur homo  
 præcepto nisi ad obediendum. Quia ergo paria sunt  
 contemptus præcepti, & nolle ex intentione obedire  
 præcepto, constat peccatum mortale esse non obe-  
 dire subditum præcepto superioris vt non obediat.  
 Intellige autem præcepti nomine, omne superioris  
 mandatum obligans subditum ad obediendum: ita  
 quod non exigitur vt sit præceptum antonomastice  
 (hoc est obligans ad peccatum mortale) sed sufficit  
 quod sit præceptum, hoc est habens vim obligatiuam  
 subditi ad obediendum, vt præceptum in moralibus  
 distinguitur contra concilium. Et intellige quod in-  
 obedientia formalis (hoc est ea intentione vt non  
 obediat) sufficit ad peccatum mortale inobedientie.  
 Contingit tamen interuenire peccatum veniale pro-  
 pter imperfectionem actus, vel primi motus, vel ma-  
 terie minimæ: vt sæpe dictum est in similibus.

*Incurritur autem inobedientia materialiter, quan-*

**Z**

**docunque**



docunque non ex intenuone inobediendi, sed alia intentione contra præcepta Dei vel superiorum homo facit. Et tunc inobedientia non est speciale peccatum, sed concurret generaliter cum omni peccato, in quantum in eo est inobedientia Dei: & similiter inobedientia præceptorum, iuris vel Prælati tanquam generale peccatum omnium transgressionum iuris vel mandatorum à Prælato inuenitur: quando subditus non ideo transgreditur vt non obediat. Et propterea de huiusmodi inobedientia materialiter, iudicandum est secundum grauitatem peccati cum quo concurret: nam si concurret cum peccato aliàs mortali, est mortalis: & si cum peccato aliàs veniali, est venialis. Et hinc fit, vt si superioris præceptum obligans ad mortale subditus transgreditur non eo animo vt non obediat, sed ex alia voluntate, peccat mortaliter: quia materialis inobedientia concurret cum peccato aliàs mortali, hoc est ex vi talis præcepti constituto inter peccata mortalia.

*Mens humana debet ab inquietudine vacare: ne solitudine nimia labatur in peccatum rationem omittens.*

**I**nquietudo mentis peccatū sonat commune multis materiis prout aliqui inquietent mentem circa negotia secularia, ex auaritiæ affectu: alii circa ea quæ sunt Veneris, alii circa ea quæ sunt gulæ, alii circa ea quæ sunt vindictæ &c. Vnde potest esse peccatum mortale, quando ex mortaliter malo animo est deliberatè. Et potest esse veniale peccatum, vt pote vel ex malo habitu præcedente veniens absque deliberatione, vel circa venialiter malam materiam versatæ: vt contingit negotiatoribus lucrosis auaris absque cuiusdam damno,

*Pecca-*